

Fusæ ad Deum Preces.

O Deus, O vitæ spes, Summæ fonsq; salutis:
 Vana salus hominum, indubitata Tui.
 Tu spes una mihi, & dubiis Fiducia rebus,
 Ne cassum auxilio ne patiare tuo.
 Accipe flexanimi, nec dedigneris ad aras
 Munera nostra tibi, thura cremata Deo.

Suspiria pro Patria.

Quis non hanc patriam nisi plane immitis amaret,
 Semina quæ veræ Religionis habet.
 Quæ nunc dat lachrymas dubio discrimine rerum
 Adq; Deum fugiens, qui relevare potest.
 Ille habet & filices, & durum in pectore ferrum
 Qui tenero lachrymas lætus in ore videt.
 Rara quidem pietas, rectum nunc cessat & æquum,
 Candor abest animis, exfulat alma fides.
 Innocuos carpit rabiosa calumnia mores
 Et sinit intactum livor abire nihil.
 Tu Deus è cœlo fessis succurrere rebus
 Ferreque Solamen tristibus ipse soles.
 Mitis ades nobis, pereuntibus adjice dextram
 Et redeant rursus, Gaudia, Vita, Salus.
 Nos miseros scelerum sub justo pondere pressos
 Ne prædæ ne nos, ludibrio esse sinas.
 Sed ut post varios ventiq; marisq; labores
 Quis salvus tangit littora grata pede.
 Cuncta repurgato fugiant sic nubila cœlo
 Purpureo totus rideat ore dies.

No